

III
A. 223



~~S. 10. 10.~~


EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

III A 223. VITEBERG.

SIGNAT. CI^oI^oCCCXIII.

Viteberg
223





111



De usu adnotamentorum s. signorum Criti-
corum apud Veteres praecipueque quae
in Tetra- et Hexaplis et Octaplis
et Pentaplis Originis inveniuntur
vide quae doctè edidit Gravius in
Dissert. de Vitis LXX. Interpr. pag. 57.
seqq.

Plura genera signorum s. notularum
habet Epiphanius.

Videri potest quoque de his Montefal-
conius in Palaeographia Graeca, cap. 5.
libri V.

B I G A
E P I S T O -
L A R U M

C A S P A R I B A R T H I .

&
J O S E P H I S C A L I G E R I .

edente
M I C H A E L E M E I S N E R O .



C U R I Æ V A R I S C O R U M :
T Y P I S P F E I L S C H M I D I I .

A N N O C H R I S T I A N O M D C X X I I .

Handwritten text on aged, stained paper, likely bleed-through from the reverse side. The text is mirrored and includes names such as "DICA", "EPIS", "LARIUM", "JOSEPHUS", and "MICHAEL". There are also faint circular stamps or marks on the page.





CASPAR BARTHIVS

Præstantissimo Litteratissimoque Viro

MICHAELI MEISNERO,

Philologo eximio, amico meo charissimo S.

ET geminas tuas litteras, doctissime Meisnere, & gemmeum libellum tuum faventibus diis vialibus accepi. Respondissem ad primas si per commoditatem incommodam licuisset, quæ nunquam sanè nobis, qui litterarum amorem cæteris bonis in vitâ communi omnibus præponimus, vel commodior est quam cum incommoda videtur, vel magis adversa quam cum faventem se declarare nititur. Utriusque causa in temporum diritate sita est; si qui enim animis & fortuna bonis non sumus emarcidi, cogimur nunc in cursu rerum publicarum pro virtute adorare infelicium lixarum furias, qui trudent omnia ad lucrum, & insidentes administrandorum officiorum clavos, hoc agunt ut quod reliquum Erynnies bellicæ faciunt, ipsi malis artibus populo exsugant, adeoque cum pulvisculo bonæ mentis stu-

);(2 dia

dia eradicent. Quod si collecto & involuto
virtutibus nostris animo hoc agere insistamus
ut Tranquillitate animi intrinsecâ potiti sper-
namus Casus rerum volubilium, vitreae sortis
nutu pendenteis, & veri hominis cultui nos de-
damus, rati tumultus illos externos & vagan-
teis turbines ambitiosarum insaniarum ad nos
nihil pertinere, jam experimur re ipsa quam
nibili etiam in his simus, quibus cura nostræ
abstractos ab rebus caducis nos privilegio quo-
piam interioris Sapientiae transcribunt. Tum
enim immensa vis se aperit bonarum quidem
litterarum, sed talium, quarum cortices lam-
bentibus atas nobis omnis conterenda est; si-
quidem eruditionem vero suo pretio aestimare
quam adulari nobis de inscientiæ nostræ præ-
sumptione malumus. Hæremus hic utrobique &
tam extra quam intra nos longè retrahimur à
perfectiōne & morum & litterarum quibus
studere, siquidem vulgo nos exemptos servare
volumus, ipsa conscientia Genii nostri compellimur.
Cæterum cum animum generosum
hæc maximopere excrucient, neque sit quo suc-
curratur opinioni nostræ, quaqua versus
aciem mentis speculatum mittamus, subit
tamen

tamen egregia ab exemplis nonnullorum, pau-
corum licet, hominum, consolatio. Non
enim adeo inclementi vultu Omnipotentia,
res humanas despicit, quin errore communi
majorem partem in declive trahente, hæreant
tamen in munimentis bonæ mentis litterati
homines, qui cum virtutis existimationem fe-
rè exaruisse videant, turbari autem studia ipsa
quoque litterarum, Amœnitatem tamen in-
geniorum suorum non deserant, sed presso pede
Tranquillitatem suam servant, neque adeo sol-
liciti de iis qui tumultu magno aerẽ complent,
neq; admittentes penetrabilibus suorũ peçtorum
contemptum illum ridiculum, quo concutere ni-
tuntur reductos à plebe animos Architecti illi
& Operarii turbarum. Neque vero hoc ter-
mino favor calitum sese coercet; audemus in
ipsis imminentium periculorum cumulis, su-
peresse nostris litteris, & spem Posteritati osten-
dere, præstituros nos etiam hac rerum tuba,
quæ memoriam nostram perennent. Quo no-
mine duplici sanè laude commendari mere-
mur; qui & spernere publicos nocentissimosq;
litterarum meliorum hostes possimus, & nobis,
uti dixi, eo usque superesse, ut cum inscitiã
):(3 aliorum

aliorum pugnare animum inducamus, non
contenti bonis nostris eatenus uti, quatenus
illis tranquillitatem in pectoribus nostris cum
omni felicitatis copiâ absolvere datur. In
hoc genere, Vir doctissime, cum jam ab multis
annis studia mea versari videam, ratus pro-
videntia quodam decreto mentem mihi ad
hunc scribendi scopum destinatam, quamvis,
ut ante dixi, miram discendarum rerum co-
piam ab omni Antiquitate undiq, me urgere
norim, non desisto quotidianis me convitiis ad
persistendum cogere, præcipuè si quando litte-
rati alicujus exemplo mei commonear, quod ut
rarius mihi meisque litteris contingit, ita gra-
tior fructus est quem spes productior edit. Jam
vides me Epistolæ ordinem ad aureolum tuum
libellum deduxisse, quem super Adnotamentis
veterum Philologorum ex recentiorum obser-
vationibus, eleganter & eruditè composuisti.
Fatebor tibi candido animo, ita me optima
mens & successus felix operis tui affecit, ut in
te redire videar ad annos jam mihi inter ado-
lescentiam & Juventutem elapsos, quibus sva-
vitas illa observandi plurima in libris prisco-
rum auctorum aliquod apud Eruditos nomen
dedit.

dedit. Cumque nihil quod tuum sit displicere
possit, gnaro videlicet nō vulgari te via ad Lau-
dem Famamq; veram grassari; tum vero ar-
gumento hoc videris mihi palmarium fecisse.
Si enim iudicio rectē utimur in censendis pro-
bandisq; scriptis iis, ex quibus omnia Sapien-
tia & Eruditionis studia pendent, quis tam
infeliciter stupidus erit, ut Notas supervacuas
putet quibus quid quaque de re iudicemus,
quo pacto ab aliā aliam discernamus, & pro-
ponamus, & illis ipsis pretia lectionum astrin-
gamus? Utinam veteribus moribus collapsis,
vel scriptorum nobis mansisset salva auctori-
tas. Utinam hac quoq; collapsā superstites sal-
tem scriptorum de scriptoribus censuræ essent,
in quibus amissis sanē immane damnum tem-
pora nostra patiuntur. Barbari nos sumus,
Linguas, quibus humana & divina Sa-
pientia omnis composita est, arumnabili, ut
ille ait, Labore addiscere cogimur, Cum ad in-
telligentiam rerum devenimus, jam in alium
omnino Orbem delati videmur, neque hoc aliā
magis de causā, quam quod nullo præeunte
nobis ipsis iudices ignotarum adhuc scriptio-
rum esse compellimur. Heret hic cursus

):(4 studio-

studiorum, atque ut bonum eligamus unum & simplex, innumera sequiora & legere & discernere necesse habemus. Quæ res in studiorum priscorum disciplinâ longè alia fuit, Notatis videlicet iis quorum probabilis usus & Ratio non erant, laudum titulis contra insignitis quibus res præclara & scientia accuratiore digna comprehendebantur. Quæ cum ita sint, neque à quoquam cum bono sensu secus censerit possit, nonne optimè & præclarum ingenium tuum & operam diligentem collocasse dicendus es, qui ex recentium scriptis doces nos compendio eas notas, quibus iudicium de quibuslibet summorum auctorum locis sine ulla molestiâ proponere possimus? Ut videlicet labore & industriâ nostrâ de omnibus posteri melius & strictius sentire possint, redempto diuturno sudore per exiguum nostrum. Scio non defuturos neque jam deesse qui rem levem, futilemque censeant quicquid hujus elaboraveris, vel in posterum etiam elaboraturus sis; verum ii homines neque harum sunt litterarum, & humanitatis nomen nomine solo præferunt dum studia Liberalia lucro & ambitione metiuntur, re vero ipsa sapere nihil aliud possunt, quam

quam quod ab liberalibus litteris alienum est,
quas non attigerunt ipsi, & ut alii vel non
tangant, vel tactas deserant, omnem lapidem
pro se singuli & in universum omnes move-
re non desinunt. Eos ego superciliosos & cru-
dissima Eruditionis viros cum magnâ aucto-
ritatis ipsorum præfatione interrogari abs te
velim (quoniam non minus dextrum in de-
fendendis quæ jam docueris, quàm in docendis
quæ defendenda arbitraris, te fore & esse existi-
mo) Ecquid sciant aut fando modo audierint
omnem eruditionis summam in monumentis
Antiquitatis positam esse? Si concedant
hoc, cur ea quam optima, emendata, illustrata,
distincta, judicata, censita quam diligentissi-
mè, nos legere velle pati nequeunt? cur solos il-
los, tot vanioribus horum contemptu laudatis,
vitilitigant, incessunt, denique execrantur, &
devovent, qui ad posteros, quantum in ipsis est,
fontes omnium doctrinarum limpidiores tra-
ducere cupiunt? Cur inutile hoc studium cen-
sent, quod litterarium, hoc est circa apices Ele-
mentorum pugnans, summâ injuriâ, dicunt,
cum sine eo ne unam quidem paginam, veræ
doctrinæ assequi valeant; ad quam juvandam
): (s atque

atque illustrandam quod attinet, sanè summo studio laborandum est ne lateat posteritatem, modo tam iniquis hominibus ulla restet? Quod si adeo absurdo iudicio & ingenio mortales reperiantur qui negare audent quicquid hodiè scimus priscorum nos libris debere; Age illi cum eximio ingenio viri Linguarum principem Hebraeam, Graecam conditricem humanarum disciplinarum, Latinam excultricem & traductricem è memoriâ hominum extirpent, dedant vero sese deinceps cum vulgo asecularum suorum aut divinis aut humanis quibuslibet litteris; hic vero ut in cathedris, suggestis, pulpitis, principumq; adeo ipsorum Dicasteriis, regnent, videbunt certè, si Diis placebit, se satis opulenter de sua doctrina succo instructos.

Vides, doctissime Meisnere, quo me libelli tui dexteritas deduxerit, qui cum usum Notarum ad sententias distinguendas & scriptorum pretia digerenda priscis usitatarum, ita illustret, ut in eo genere simile adhuc nihil prodierit usquam; merito penitus nos ad aestimandas laudes tuas introducere debuit; quae sanè in hoc non absolvuntur ut levium
Elemen-

Elementorum apices diribant; sed quid ni-
grum quid album sit eo generosius & fidelius
perpendere jubent, quò melius deinceps judi-
cium nostrum per hæc arguta compendia pa-
lam facere poterimus. Maacte ingenio stu-
diorumque hæc tuorum excellentiâ, & tene-
callem hunc Virtutis egregia, quæ non presen-
tium modo utilitati, sed futurorum etiam
mortalium emolumento desudet, tibi Laus
æterna jam decus illud spondet, quod etiam
eminus videns facile Lemurum assultus, faci-
lè Invidia livorem, facile denique Insci-
tiam & Impudentiam contemnes, securus in
publico hoc Europe tumultu de tranquillita-
te morum & animi tuorum, partâ per eas
litteras, quarum interior cognitio te divinis
illis animabus quotidianum collocutorem
sistit, quæ receptæ jam DEO, jam multa se-
cula compositæ, monumentis tamen divino-
rum ingeniorum posteritatem suam suas scien-
tias, ab sese inventas, excultas, & translatas,
docere non desinunt; quin, quicquid sanctum,
sacrum, Justum, salubre, decorum, pulcrum,
honestum, Utile, denique quicquid ullo nomi-
ne commendabile scire mortales Omnipotentia
voluit,

voluit, libris nobis aureolis propinent; quibus
ut gratias aliquo modo agamus; age seducti à
Fortuna lubricis & futilibus muneribus, cum
illis gratissimè conversemur, illis verè candi-
dis, verè probis animabus; cumque ex longâ
& quotidianâ cum illis colloctione, tot di-
vitiarum & deliciarum, quot omnium secu-
lorum in litteras redacti thesauri ferunt, com-
potes & intelligentes facti fuerimus; audea-
mus & ipsi vestigiis earum insistere; &
conscribamus libellos semper-victuros, sem-
per memoriam nostri gratam acceptamque
nepotibus prestituros; quorum felicissimos eo-
dem ducamus, & post fata corporum in animis
eorum viventes, mereamur & nos quandoq;
iis accenseri, quos extra omnem contemptus
aleam positos admiramur, & eo pressius lau-
damus, contentiusque sequimur, quo vecor-
diarum odio ab improbis imperitisque homi-
nibus incesse eorum, memoriam videmus.
Huc cum te mecum studia nostra communia
ducant, jamque tam nobile & selectum bonæ
mentis & ingenii per felicis pignus, quale
hunc tuum libellum merito tuo ipsiusque
laudamus, dederis, turpius putes non cepisse,
quam

quam tanto principio defuisse. Livor ipse,
sine quo pergere minimè poteris, testimonium
incomparabile præstantiæ tibi tuæ dabit, ade-
ritque laudibus tuis, dum opprimere eas ni-
titur, scilicet ut multis tuæ virtutis hosti-
bus, quam benè agas ex eo clarius etiam co-
gnoscas, quod malis imperitisque integritas
& doctrina tua exosa esse incipiant. Vale
vir doctissime, meque tardæ scriptiōnis ex-
cusa; Salutem plurimam Clarissimo Viro &
penitarum etiam litterarum consulto, Vol-
gango Seidelio vestro plenis votis ascribo.

Scripta Lipsiæ. a. d. KL. April. CIOIDCXXII.



JOSEPHI



JOSEPHI SCALIGERI

DIATRIBA

DE

CRITICA,

AD V. CL. P. SCRIVERIUM.

TRia genera GRAMMATICORUM: alii Τεχνικοί; alii Ισορικοί; tertium genus Κερίκοι vocantur.

ΤΕΧΝΙΚΟΙ elementa & primores literas docent; item partes orationis, structuram verborum, & similia, eos Græci Γραμματιστὰς potiùs, quàm Γραμματικὸς; & Latini *Literatores*, non *Literatos* vocant.

Catullus:

Munus dat tibi Sylla literator.

Ars autem non Grammatica, sed Literatura.

HISTORICI in fluminum, montium, regionum nominibus occupati sunt. abstrusas historias, aut μυθολογέματα, aut ποιητικῶς θεολογέματα explicant: genealogias Deorum ac Heroum priscorū diligenter rimantur. Planè sunt quos indicat Juvenalis:

Ut legat historias, auctores noverit omnes

Tanquam ungues digitosq; suos: ut forte rogatus

Dum petit aut thermas, aut Phæbi balnea, dicat

Nutricem Anchise; nomen patriamq; noverca

Archemori: dicat quot Acestos vixerit annos,

Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.

Eadem quoq; in Historico Grammatico ridet Lucianus ἐν τῷ περὶ τῶν ἐπὶ μίθῳ συνόντων. Sed quam hæc ridentur ab illis, tamen propria sunt hujus partis Grammaticæ, quæ ἰσορική vocatur.

Nobilior

Nobilior utrâque ΚΡΙΤΙΚΗ. Nam CRITICI tan-
quam censores quidam veterum librorum, & Sena-
tum legere possunt, ut ille apud Ausonium:

Quiq; sacri lacerum collegit corpus Homeri.

& non probos tribu movere, ut apud eundem:

Quiq; notas spuris versibus addiderat.

quia παρεγχεραμμένα, ἐμβολιμαῖα, νοθεύοντα,
& similia deculpare, ut eorum verbo utar, solent, & no-
tâ culpæ appositâ damnare: neque tantum quæ per-
peram ab auctoribus dicta, scripta, pronunciata sunt
ἀθετεῖν, ὀβελίζειν: sed & aliorū Criticorum temere
scita notare ac castigare, quam κείσιν εἰκαίης ἀθε-
τήσας vocabant. Iidem etiam duplices & ambiguas
lectiones recensebant, quas διπλὰς χεήσας dixerunt.
Nam Χεήσας, oratorum, poetarum, historicorum sunt
auctoritates & scita. Sed præcipua hujus studii pars,
transposita in auctoribus suis sedibus vindicare, ut fe-
cit ille,

Qui sacri lac. col. corp H.

quo nomine μεταθέσας τῶν γραφῶν valde celebra-
runt. Et conciliatio sententiarum etiam in Philoso-
phis ad eos pertinebat. ejusmodi sunt συμφωνία τῶν
δογμάτων in Platone, à veteribus Criticis notata.
Sunt & eorum ἐκλογαὶ καλλιγραφίας. quæ sunt ab
illis in quodam auctore veniuntè novata: hujus enim
artis & hæc pars est.

Criticæ principes apud GRÆCOS sunt *Aristopha-
nes, Crates, Aristarchus, Callimachus.*

Apud HEBRÆOS *Masorite* sunt, qui apud Græcos
Critici. ii incertas ac vagantes artis Grammaticæ re-
gulas in ordinem coegerunt: Bibliorum sacrorum
scripta apicibus ac punctis vocalibus, quæ Hebraismi
anima est, exornarunt; διπλὰς χεήσας quas ipsi vo-
cant


cant *legenda non scripta, & scripta non legenda*, συμφω-
νίας, διορθώσις, ὀβελισμὸς, & si quæ sunt his cogna-
ta, in illorum Criticis Commentariis hodie passim vi-
demus. Deniq; ἡ Κριτικὴ apud eos *Masoreth* vocatur.

Apud LATINOS nobilissimi Critici sunt *Varro*,
Santra, *Sisenna*: sed omnium princeps *Varro*. Ejus
Critica docuit ex multis fabulis unam tantum & vi-
ginti Plautinas esse, quæ postea *Varroniana* dictæ sunt.
Cum enim Plautinarum fabularum censum ageret,
eas nominavit, cæteras præterivit.

Hæc sunt quæ de CRITICA habui. Plura habe-
bam: sed pauciora quæ ad rem facerent, ex tempore
delegi.



o
r
i
r
s
-
i
o
o
e



✓

Aug III A 223

ULB Halle

3


006 533 353




VD 77

Z





B I G A
E P I S T O -
L A R U M
C A S P A R I B A R T H I .
&
J O S E P H I S C A L I G E R I .
edente
M I C H A E L E M E I S N E R O .

C U R I Æ V A R I S C O R U M :
T Y P I S P F E I L S C H M I D I I .
A N N O C H R I S T I A N O c l o . l o . C . X x I I .

